



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 9. Ad quid tenetur Confessor propter defectum in Sacramen[t]o  
admissum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

los in cœlum sustulisse, Deum orasse, &c. Imò etiamnum internam Contritionem ac voluntatem confitendi elicere, & conari manifestare omnibus quibus potest signis externis, omnibus videlicet motibus corporis sui, aut certè contrarium non constat. Unde inferunt tunc haberi signum externum Contritionis & voluntatis confitendi saltem probabiliter præsumptum aut dubium, ideòque sufficiens ad absolutionem conditionatam in tali necessitate.

Jam verò si talis potest absolvi, eum absolvere tenetur Sacerdos; nam quisque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo subvenire meliori modo quo potest, afferendo saltem opem dubiam, quæ melior est nullâ, si nequit certam vel probabilem afferre.

Circa hoc Rituale Tullense hæc ait: Donec Ecclesia de hac difficultate deciderit, poterunt Confessarii sequi in praxi id quod favorabilius est salutem ejusmodi moribundorum, & eos absolvere, si semper christianè vixerint.

*Q. 9. Ad quid tenetur Confessor propter defectum in Sacramento admissum?*

*Resp.* Si invalidè absolvit pœnitentem à Censuris vel peccatis reservatis, tenetur, saltem si commodè potest, illum monere, ut sibi quærat remedium ab alio; vel obtentâ à Superiore facultate illum absolvendi, pœnitentem præsentem post iteratam Contritionem absolvere. Si verò pœnitentem induxit in aliquem

errorem, ex quo sequitur violatio præcepti alicujus, dicendo non extare tale præceptum, tenetur monere pœnitentem; alioqui esset causa, cur is præceptum violaret; & quisque tenetur tollere causam mali, quam posuit etiam inculpatè. Item si ex omissione monitionis, & silentio Confessarii, moveatur Pœnitens ad credendum licitum id quod est illicitum, tenetur Confessor postea eum monere; quia quisque tenetur curare ne alii ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant, & ne moveantur ad violandum etiam materialiter præcepta. *De Lugo*, & quia reparari debet omisio periculosa rei ex officio debitæ.

*Q. 10. Ad quid tenetur Confessor propter defectum circa restitutionem?*

*Resp. I.* Si sine tua culpa de obligasti Pœnitentem à restitutione, ad quam tenebatur, vel obligasti ad quam non tenebatur, teneris ex justitia errorem dedocere. Nam quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum: alioqui cognito errore tenetur de damno; quippe proximus jus habet ne damnum à quoquam quovis modo patiat.

*Resp. II.* Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia considerandi dixisti Pœnitenti eum non teneri ad restitutionem ad quam reipsâ tenetur, teneris errorem dedocere. Quòd si non dedoces, vel si Pœnitens interea factus est impotens ad restituendum, qui